HUGO DE SANCTO VICTORE
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 58r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



58

essentia est. nec solum essentia. quia in ea subsistunt. sed super essentialis essentia.
quia ad eius equalitatem non pertingunt. ipse ihesus. cuius ineffabilis maiestas.
et diuinitatis potentia. ipsos quoque angelos et portat per gratiam. et transcen
dit per naturam. ueniens ad id quod secundum nos est. hoc est ad susceptionem
carnis que nostre nature erat. et nobis similis erat. et inmutabiliter
ueniens. hoc est sine diminutione uel mutatione sue diuinitatis.
non resilit ab humana ordinatione. hoc est ab ordinatione siue
lege humanitati debita. ordinatione dico primum ab eo ordina
ta. quando prius hominem instruxit. postea ab eo assumpta. quando hu
manitatis formam et naturam suscepit. Si autem humanam naturam
assumpsisset. et humanam conditionem respuisset. ab humana or
dinatione resilire. Quasi ut resilire illi esset. id quod per naturam
assumpserat. per conditionem nolle tolerare. Nunc autem ueniens
ad humanam naturam per assumptionem carnis. ab humana ordina
tione non resiliit per custodiam humilitatis. sed obediens subditur
dispositionibus dei patris per angelos. circa eius humanitatem adminis
trantis. et per medios angelos ipsos. i. mediantibus ipsis angelis annun
tiatur ioseph. ut pote pedagogo infantie eius. recessio ipsius filii
dei ad egyptum. a patre deo dispositam. et iterum ad iudeam ex egypto
transductio. siue reductio. Sed et ipsum inquit uidemus per angelos. sub
paternis legis lationibus ordinatum. ipsum uidemus ordinatum per an
gelos. hoc est dispositum sub paternis legis lationibus sub mandatis
legalibus. que mandata hii quos secundum carnem patres habuit. et ante
cessores acceperant obseruanda. Sub his itaque mandatis lega
libus ordinatus est per angelos. quando secundum legis paternae precepta. et circ
cumcisus est die octaua. et quadragesima die in templo cum muneribus
et hostiis presentatus. legem per angelos datam. obseruans dominus angelorum.
Sequitur. Insto ut dicere. ut scienti nostris sacerdotalibus traditionibus